



Hilfsproben gemacht

1/426

Epd Nr. 1 zum Inhaltvergleich = 00

Mf. m. 3

= 0+

" m. 4

= 00

" M. 9

= 0+

Als 0+ zu bewerten

DE  
CHRISTO,  
PERFECTISSIMO BONI PRAECEPTORIS EXEMPLO,  
PAVCIS DISSERIT,  
ATQVE AD  
**ACTVM  
ORATORIVM**  
D. xxv. SEPT. ANNI MDCCLIII. HORA II. POST MERID.  
**IN SCHOLA MAVRITIANA**

HABENDVM  
MVSARVM PATRONOS ET AMICOS  
OFFICIOSE ET REVERENTISSIME  
INVITAT

IOANNES EVSTACHIVS GOLDHAGEN, R.  
Societatum Latinae et Teuton. Jenens. Goetting. et Bre-  
mens. Sodalis honorarius.

---

MAGDEBURGI,  
LITTERIS NICOLAI GÜNTHERI, REG. PRVSS. TYP. AVLICI.

[Gotha gen. Johann Eustachius]

CHILO

LEHRBUCH DER CHILOLOGIE DORF KARL

ERNST DÖRFLER

GEVYTA

IV

VI

CHILOLOGIA AUS DEM 17. JAHRHUNDERT  
VON ERNST DÖRFLER

MÜNCHEN

DRUCK UND VERLAG VON FRIEDRICH MAYER

ERSTES TEIL DER SECHS

INHALT

JOHANNES EUSTACHIUS GOETHEMANN

DRUCK UND VERLAG VON FRIEDRICH MAYER

ERSTE HÄFT

DRUCK UND VERLAG VON FRIEDRICH MAYER

ERSTE HÄFT

DRUCK UND VERLAG VON FRIEDRICH MAYER



S. I.

**Q**uam Christus, seruator generis humani optimus, maximus, ex quo tempore propheticum munus obire coepit, publici doctoris partibus ita functus est, ut, quicumque ad illum accederent, eos omnes rationem viamque salutis doceret, atque per cunctam Palaestinam circumeundo hominibus praecelta verae sapientiae traderet: \* peculiarem tamen scholam quamdam habuit, in quam duodecim illos, quos, ab officiis aliquisque negotiis auocatos, vniuerso terrarum orbi doctrinae caelestis magistros datus erat, velut intimos et familiares auditores adscriptis. Vera erat haec spiritus sancti officina, quae scholis inter gentes profanas celebratissimis, Platonis Academiae, Zenonis Stoae, Aristotelis Lyceo, cum doctrinae veritate et praestantia ac discipulorum immortalibus meritis, tum magistri virtute, sapientia atque dignitate, omnem eripuit gloriam. Sed

A 2

ipsas

\* Matth. XI, 1.

ipsas etiam prophetarum scholas, \* quae procul dubio optimis institutis florebant, et ministerii sanctioris seminaria erant, haec doctrinae palaestra tanto interuallo reliquit, quanto summus prophetarum ceteris praecelluit omnibus. Siue igitur hunc magistrum spectamus, siue doctrinam eius et disciplinam, siue auditores, muneri omnium et sanctissimo et grauissimo destinatos: perfectiorem nusquam reperiemus scholam.

## §. 2.

Evidem praetermissis, quae de altera tertiaque parte non sine fructu aliquo cogitari dicique possunt, ad magistrum scholae illius animum conuertens, perfectissimum boni praceptoris in eo nobis proponi exemplum, paucis differam. Neque ab officio meo hoc argumentum alienum puto, neque illis lectu iniucundum, qui, quales homines erudienda aetati puerili praefici debeant, penitus cognoscere sua interesse iudicant. Quod si qui eorum, quibus docendae regendaeque pubis scholasticae munus datum est, hanc meam scriptionem, non copioso doctrinae adparatu instructam, sed ab optimo animo profectam, legerint: hi mecum, quam longe ab similitudine summi magistri absimus, videbunt ac dolebunt: sed eo ipso doloris sensu, et iusto et sancto, stimulabimur, ut ad illum in dies propius accedere connitamur.

## §. 3.

Vt igitur intelligatur, perfectiorem scholae magistrum domino nostro ac redemptore fuisse neminem, primo, quae agenda sint praceptoribus scholasticis, considerandum videtur. Duplarem hominibus finem ab auctore humani generis propositum esse, vt et ipsi certa felicitate potiantur, et aliorum felicitati inseruant, ex ipsa Dei hominumque natura tam liquido constat, vt vix in dubium vocari queat. Sed quales nascuntur mortales, tales ad nullam rem minus, quam ad procurandam eam sortem ac conditionem, qua vere felices censemur, sunt idonei. Neque enim quae ea bona sint, quorum usu fru-

\* &amp; Reg. II, 25. c. IV, 38.

Et uque beati viuimus, intelligunt; neque si intelligent, viam il-  
 lorum portiundorum vident; ac, si videant, quo minus illam  
 ingrediantur, deprauata voluntate et peruersis immoderatisque  
 cupiditatibus impediuntur. Quid igitur factu opus est, vt,  
 qui rudes omnis doctrinae et sapientiae et prono ad vitia animo  
 nascuntur, ex ignorantiae tenebris ad lucem veritatis, atque ab  
 ingenita vitiositate ad christianam virtutem perducantur. Si  
 parentes omnes ac singuli liberorum mentem emendare et  
 possent et vellent: non opus esset aliena ad rem tam necessariam  
 opera: sed quoniam aliis inscitia ipsorum et improbitas,  
 aliis vitae genus multis laboribus et occupationibus distractum  
 impedimento est, ne ipsi, quos procrearunt, erudire atque iis  
 artibus, quibus et priuata et publica salus comparatur, instrue-  
 re possint: constituendi erant, qui aliis munis vacui totos fese  
 instituendis pueris adolescentibusque darent, eorumque ani-  
 mos ita excolerent, vt non modo ipsi tum praesentem, tum pe-  
 rennem vitam bene beateque agant; sed reipublicae etiam na-  
 vare operam, et communem felicitatem iuuare queant. Ad  
 hanc metu omnes, qui praceptorum munere funguntur, oculos  
 intendere, ad illam omnibus viribus contendere debent.  
 Quamquam vero, cum vnu non omnia possit, partes officii tam  
 grauis et onerosa inter plures distribuuntur; vt alii elementa lit-  
 terarum pueris tradant, alii adolescentes ad cognitionem veri  
 bonique vberiorem, facultatemque artium et disciplinarum ma-  
 gis et magis prouehant: vniuersos tamen eo conniti oportet,  
 vt non modo necessariam rerum diuinarum et humanarum in-  
 telligentiam consequantur; sed etiam religiosa in Deum pietate,  
 morum honestate et elegantia, prudentiaque vitae civilis ad  
 omnem virtutem conformentur. Quis non videt, in eo, qui  
 haec efficere debeat, praeter doctrinae copiam, paternam in dis-  
 cipulos caritatem, docendi et regendi facultatem, fidelitatem et  
 mansuetudinem leueritati coniunctam requiri? Ex his virtuti-  
 bus, tamquam ex fonte suo, nisi manent omnia, quae scholarum

m̄agistris perāgenda sunt, labores vel molestissimi frustra insu-  
muntur, neque vlli diligentiae fructus percipiuntur. Quodsi  
igitur in diuino seruatore nostro summa illa sunt omnia: si amo-  
re suos amplexus est integerrimo et tenerrimo; si prudentia in  
illis docendis gubernandisque v̄sus est maxima; si fide summa  
illorum felicitati prospexit, et admiranda cum lenitate tum se-  
ueritate suorum errata et lapsus castigavit: quis quaeso nega-  
uerit, perfectius et illustrius exemplum praeceptoribus schola-  
sticis proponi non posse?

## §. 4.

Nam quid primo dicam de amore eximio et ardentissimo,  
quo summus ille magister in alumnos scholae suae, diuinitus ac-  
eensus ferebatur? Non in oculis, quod dicunt, sed in medullis  
illi haerabant, ipsaque vita cariores erant. Tenerrima est pa-  
rentum in sobolem caritas a natura cunctis infusa: vere tamen  
adfirmare licet, ita nulli patri filios curae cordique esse, ut Chri-  
sto fuerunt, quos in disciplinam suam receperat. Audiamus  
ipsius os caeleste ac verissimum. *Quemadmodum, inquit, me  
amauit pater meus; sic ego vos amo.* Ioh. XV, 19. Quam  
vehementer suos amet, ostensurus clarissime, amorem patris sui  
in se filium vnigenam cum suo in duodecim discipulos amore  
comparat. Quae autem flagrantior vis caritatis cogitetur, quam  
ea, qua ipsum Dei numen, in quo omnia sunt immensa, filium ex-  
sese ab aeterno genitum, velut alterum se, ut humano loquar  
more, amplexus in sinu atque deliciis \* habuit? Num amo-  
rem veriorem et sanctiorem fingere animo possumus? Quem-  
admodum vero Pater amauit Filium, ita se alumnos disciplinae  
suae, apostolos, amauisse Sospitator noster, morti cruentae vi-  
cinus, testificatur. Omnes atque singulos, ne Iuda quidem  
excepto, ex animo diligebat, in manibus habebat, ferebat in o-  
culis, ita tamen ut Ioannes, non inuidentibus commilitonibus,  
praerogativa quadam huius amoris gauderet, eiusque velut  
prin-

\* Joh. I, 18.

principatum quemdam teneret. Nonne amantissimus suorum magister, omnibus, qui erudiendis et educandis aliis praefecti sunt, documentum dedit, quo animo in suos quisque tirones esse, quo studio in eos animatus esse debeat? Ecquid haec amoris flamma praceptoris christiani pectus frigere patiatur? Quis est tam alienus a religione sanctissima, ut nolit, quanto potest studio imitari exemplum pulcherrimum atque excellentissimum?

## §. 5.

Quicumque igitur docendorum puerorum sustinent officium, hos ipsos tamquam filios suscipiant, complectantur et foueant, nihil illis carius habeant, eorum felicitatem et salutem suam existiment. Nolint vnius quaestus causa, ut mercenarii, labores tolerare, nolint gloriolae vanitati inservire; nolint oblationibus commodisque suis discipulorum in doctrina atque pietate incrementum postponere; odio, contemtui, despicienciae locus relinquatur nullus. Quodsi tamen quos vident adolescentium vel ingenii praestantia, vel discendi ardore, vel morum probitate atque elegantia reliquis antecellere, eos quidem, ut Seruator noster Petrum, Ioannem, Iacobum, eximię caritate et singulari benevolentia dignentur, et tamquam dulcissimos alumnos in sinu gestent; neque vero illos, qui cum propter ingenii tarditatem, tum propter industriam remissorem, aut vitae rationem minus emendatam, minus sunt amabiles; amoris sui prorsus expertes esse finant. Non eodem omnes, qui Christo doctori operam dabant, animo, non eodem ingenio, non iisdem moribus fuerunt: in omnes tamen propensa erat voluntate, ipsumque Iudam, hominem avaritiae sordibus contaminatum futurumque ipsius proditorem, paterno studio souit, quoad ipse se a complexu eius impietate execrabilis diuelleret.

## §. 6.

Quemadmodum autem, qui ex animo diligunt, amorem hunc non pectore occlusum tenent; sed vultu produnt, sermone

ne significant, ipsoque opere declarant: ita et religiosi scholarum doctores in hoc elaborant, ut supremi doctoris exemplo, quacunque re possunt, suam in discipulos voluntatem testificentur. Christus ita inuigilabat, cum vniuersi generis humani, cum suorum discipulorum felicitati, ut eam sanguine et vita sua diuina repararet atque instauraret: et quamquam hoc munere potissimum fungebatur, ut nobis ad perennitatem vitae gaudia aditum patefaceret: praelentes tamen suorum necessitates haud neglexit; sed cum vitam ante labore suo tolerauissent, neque iam scholae addicti, magistri sui comites et adseclae perpetui, vietum sibi comparare possent; sibi hanc curam demandata esse voluit, eamque tam diligenter gessit, ut discipuli se nunquam vlla re indiguisse profiterentur. Nobis, quibus docendi prouincia imposita est, amor ille, quo in nostros accensi esse debemus, maxime quidem incitamento sit, ut animos concreditae nobis adolescentiae veris aeternisque bonis locupletemus: verum tamen si quos habemus, habemus autem non paucos, qui paupertate pressi spem sui bonam faciunt, eos ita nobis commendatos habeamus, ut inopiae, quantum in nobis est succurramus, nostraque saltem commendatione in hominum locupletiorum gratiam et benevolentiam insinuemus. Sapientissimus mortalium doctor in scholam suam discipulos vocabat, neque splendore natalium conspicuos, neque diuitiis adfluentes; sed homines obscuros, inopes atque contemtos: non quo istos doctrinae caelestis expertes esse vellet; sed quod hos legationi ad vniuersum genus humanum obeundae magis idoneos esse videret: atque ut exemplo esset omnibus, qui scholastica munera gerunt, discipulorum egenorum, in quibus scintillae ingenii et industriae emicent, curam diligentem esse habendam. Institutionis autem cura ad omnes atque singulos, sive summorum virorum, sive infimorum hominum filios, ita pertinet, ut in ea magna fide prudentia et dexteritate versari debeamus. Hac etiam in re Christum ducem habemus optimum.

§.7.

Quum ii, quos e multitudine delegerat, aliquando nuncii  
 salutis per ipsum partae, et voluntatis diuinae interpretes futuri  
 essent: illos ita instituit, ut felicitatis humanae rationem edocti  
 ex erroribus mortales expedire, sanctissima doctrina erudire,  
 viamque, qua ad caelum tenditur, monstrare possent. Nihil iis  
 tradidit, nisi quod eos scire, cum ipsis, tum vniuerso hominum ge-  
 neri expediret maxime. Poterat discipulis multa arcana diuinae  
 naturae, multa de rerum primordiis, de mundi originibus, de na-  
 tura caelestium, de angelorum ordinibus atque muneribus ex-  
 plicare: quis enim Christo intimos arcanae scientiae recessus pa-  
 tuuisse nescit? Sed cum in docendo muneris illius, quod aposto-  
 lis obeundum erat, rationem haberet: non id egit, ut discipuli in-  
 ter eruditos Iudeos, aut philosophos Graecos eximiam quam-  
 dam doctrinam iactare atque exquisitae eruditionis gloriam sibi  
 parare possent; sed vt nihil eorum ignorarent, quorum scientia  
 homines ad salutem aeternam imbui oportebat. Qui summum  
 praceptorum, in hac etiam re sequendum esse statuunt, recte fa-  
 ciunt et sapienter. Etiam si quis copiosa et vasta doctrina instru-  
 etus sit: tamen illam haud immoderate ostentabit, neque opes  
 eruditionis intempestive expromet. Cui vitae generi quisque se  
 discipulorum addixerit, quid in obeundis aliquando muneribus  
 usum certum sit habiturum, quibus rebus vel omnes vel pluri-  
 mi ad publicam et priuatam utilitatem maxime adiuentur, dili-  
 genter cogitans nihil eorum docebit, quae ipsius quidem ingenii  
 et doctrinae excellentiam atque magnitudinem ostendant, ad  
 ipsum autem scholaisticae institutionis finem nihil adiumenti  
 adferant. Praeclara magistri virtus est scientiam erumpere ge-  
 stientem premere posse, atque intra illos cancellos, quos sapien-  
 tes viri scholis posuerunt, se continere, utilibusque tantum et  
 necessariis operam dare. Scholae academicae, quas Vniuersi-  
 tates adpellant, atque inferiores, quas variis nominibus Lyceo-  
 rum, Paedagogiorum et Gymnasiorum insigniunt, limitibus qui-

busdam prudenter discernuntur. Hos terminos mouere non consultum est. Doctrinam vberiorem, et penitiorem rerum cognitionem Academiae dabunt: in ludis nostris si fundamenta eruditio nis bene iacentur, et humanioribus litteris ingenia probe excolantur, satis habeamus. Subtiliores, siue de rebus philosophicis, siue theologicis, disputationes non capiunt adolescentes: quorum captui omnino institutionem admodumare boni debent praecettore. Huius etiam prudentiae exemplum magistrorum sapientissimus nobis praeiuit. Cum enim videret discipulos suos praecceptis opinionibus de regno Messiae imbutos non omnia percepturos ante, quam ipse crucis suppicio affectus atque in vitam reuocatus esset: non cuncta caelestis doctrinae arcana patefecit, sed eorum reuelationem in illud tempus, quo maiori spiritus diuini luce collustrati essent, reseruauit: id quod ipse his verbis testatur: adhuc multa, inquit, habeo, quae vobis dicam, sed quae nunc ferre nequeatis. \* Ita nos etiam, quid ferre possint tirones diligenter expendentes, humeros imbecilliores non ultra, quam fas est, oneremus.

## §. 8.

Quidquid vero praecipimus, id, qua fieri potest perspicuitate, praecipiatur. Quam explanate diuinus magister praecetta religionis diuinae explicauerit, quantaque claritas docendi fuerit, vel exinde cognoscitur, quod nullum fere caelestis regni mysterium reuelaret, quin illud similitudine aliqua, a rebus vulgo notis et familiaribus, ducta, illustraret, sermone vtens simplici et candido. An vero satis habebat, si doctrinam aliquam semel proposuisset? An laboris iterum iterumque sumendi taedium capiebat? Absuit haec vel ignavia vel superbia longissime ab hoc magistro. Repetebat, explanabat inculcabit, instabat, quoad discuterentur tenebrae, et difficultates grauissimae expedirentur. O salutarem et commendandam omnibus docendi rationem! Leues sunt puerorum multo-

\* Joh. XV, 12.

torum animi, neque adsidue mentem in re praesenti figere queunt: in has illasque cogitationes, vagas et instabiles, tamquam a vento aliquo, facilissime impelluntur. Pleni praeterea rimarum sunt, hac atque illac perfluent. Raro fideli memoria, quae semel tradita sunt, retinentur. Dicta dicto citius evanescunt. Insuper multorum indolem tarditas quaedam premit, ut doctrinas vel planissime explicatas aegre percipi-ant. His tantis incommodis, incrementum eruditionis valde remorantibus, quodnam remedium inueniemus, nisi ut Christum sequamur ductorem, et industria nullis molestiis vincenda institutionem sic vrgemus, ut repetendae saepius explanationis, ut iterandae inculcationis, ut continuandae emendationis nunquam pigear? Est molestum, fateor, eadem diutius chorda oberrare, mouere semper, neque multum et celeriter promouere. Sed velis, nolis, aliter haec sacra non constant. Quam viam ipsa sapientia tenuit, cur nos miseri homunciones deseramus? Si uno ictu arbores non cadunt; etiam atque etiam ingeminari debet: neque umquam est committendum, ut studium nostrum satietate atque taedio repetitionis languecat, vel prorsus intermoriatur. Quodsi discipuli scrupulos sibi aliquos euelli, aut quae non intellexerint, explanari pluribus cupiant: non increpandi, non repellendi, non truci vultu et caperata fronte absterrendi sunt. Audiantur benigne, respondeatur leniter, laudetur studium omnia perspicue cognoscendi, atque eo ipso ad diligentem eorum, quae traduntur cogitationem amice impellantur. Ita sepe erga discipulos suos magister optimus gessit, interrogantibusque \* nunquam non praesto fuit, neque docendo neque respondendo fatigatus.

## §. 9.

Eamdem vero constantiam desiderat emendatio corrupi moris: qua in re tanta eluxit benignissimi seruatoris mansuetudo, quantam laudare quam imitari multo est facilius.

B. 2

Quam

• Matth. 13, 10. 36, c. 18, 21. c. 19, 10. c. 24, 3.

Quam placide et moderate aberrationes atque offensiones discipulorum tulit! Modo ambitionis stimulos sentientes principatum adfectabant, atque de supremo dignitatis loco inter se contendebant; modo dissidentia abiecti, modo praefidentia elati, modo ira inflammati erant. Quid vero? num in eos acerbe saeuuit? num societatis vitae et coniunctionis vinculum rescidit? Non sinebat hoc paterna caritas. Labebantur, erexit; vacillabant, sustentauit; aberrabant, reuocauit; fugiebant, collegit; neque quemquam seueritatis quadam impotentia perdidit. Praeclarissime de officinis doctrinae et pietatis agatur, si huius lenitatis imaginem nemo non magistrorum in animo expressam habeat. Adsint caeterae virtutes et artes, quas in praceptoribus esse oportet, doctrinae copia, dicendi facultas, laboris patientia: nisi irae moderatio et facilis ad ignoscendum animus accedat; nisi prudens mansuetudo et temperitia indulgentia vel improbos et petulantes ferre queat; multum sane de labbris fructu deminuetur. Etenim huiusmodi sunt adolescentium ingenia: firmissimis radicibus inhaeret insita abiipsis parentibus naturae prauitas, quae e paucissimis prima ad virtutem cohortatione euellitur. Saepe incogitantia peccant et levitate animi; saepe quid rectius sit et honestius, ignorant; saepe prauarum consuetudinum torrente auferuntur: quos omnes si continuo tamquam immedicabilia vulnera recidere velis; nae messem in herba suffoces, multorumque praeclaram indolem, sed auri instar scoriis obiectam acerbitate praepostera extinguis. Alii aliis tardius in viam sanitatis vitae ingrediuntur. Ferendum igitur et sperandum, neque agrestibus conuiciis, impotentibusque obiurgationibus, multoque minus Orbilianis plagis, alapis, colaphis, in hos est debacchandum, qui contumeliis et verberibus magis exacerbarunt, quam emendantur. Domini igitur nostri arque Redemptoris amantissimi clementia versetur ante oculos, ut ne, quos ad frugem perducere cupimus, irae impotentia ad iram prouocemus.

§. 10.

Ergone omnem praecidimus seueritatem? nihilne loci relinquimus castigationi acriori? Longe absum ab hac sententia. Ipsius sumini magistri exemplum nos aliud docet. Non is patiebatur, vt molliori indulgentia vitia radices agerent atque adulta confirmarentur. Adiungebat comitati seueritatem, arguebat discipulorum aberrationes, reprehendebat fidei exilitatem, accusabat ambitionem, increpabat animi duritiem; ita tamen, vt omnis haec disciplina ex amore proficiseretur et prudentiae coniuncta esset. Quid nobis faciendum sit, hinc intelligimus. Non conniuendum vitiosis propensityibus, non indulgendum corruptis moribus, non blandiendum legis diuiniae et humanae violatoribus: sed castiganda, impugnanda, premenda improbias atque ignauia. Ac velut qui valetudinis recuperandae scientiam callent, vbi lenioribus remediis in morbo pertinaci et fere desperato nihil effici vident, acicra adhibent et vehementiora: ita qui morbis animi mederi debent, recte quidem illi lenitate quadam in curando vtuntur; sed cum eam contemni animaduertunt, acerborem medicinam in subsidium vocant, omnemque rationem inueterata sanandi malitia experiuntur. Quodsi autem frustra sunt omnia: cauent tamen ne contagio vitiorum serpat, et latius manans partem trahat sinceram. Sed omnem seueritatem caritas discipulorum ad exemplum perfectissimi praceptoris apte et decore moderetur.

Vnum est addendum: quod nisi a Christo praeceptrores discant, cetera omnia minus feliciter evenient. Se ipsum maxime cognosci a discipulis voluit; se aeternum Dei filium, se redemptorem mortalibus promissum, se vnum salutis nostrae auctorem et statorem esse, vt persuaderet suis, in eo maxime elaborauit. Hoc testimoniis sanctorum probauit vatum, miraculisque illustrissimis confirmauit. Quantum apostolorum referbat, vt gloriam Christi certa fide cognitam haberent; tantum

et discipulorum nostrorum interest, hunc illos prophetam, sacerdotem regemque agnoscere, certa fide amplecti, pioque cultu venerari. Quia sapientia, quae sola dux est beatae vitae, ut tironum animi instruantur, hanc primam et maxime necessariam sanctissimamque officii sui partem esse praceptoribus existiment, quam nisi religiose studeant explere, cetera omnis ad virtutem cohortatio solido carebit fructu, atque ad summum non nisi civilis probitatis speciem morumque elegantiam conciliabit.

## §. 12.

Ab hoc, quod proposui, perfectissimo boni praceptoris exemplo meam et docendae iuuentutis et regendae scholae rationem tam longe abesse, quam longe conditio mortalium a divina abest perfectione, meae mihi tenuitatis conscius probe intelligo. Omne tamen studium meum, omnis labor, omnis industria in eo ponetur, ut ad optimi praceptoris similitudinem, quantum Dei adiumento fieri poterit, in dies propius accedam. Quod ut optime faciam, adsit mihi Christus, largitor bonorum omnium, efficiatque ut vitam meam oinnem ad ipsius exemplum componam. Reuocet aberrantem, regat dubitantem, firmet imbecillum, impellat tardum, excitet adfictum, bonique aliquid molientem adiuuet atque sustentet. Incendat animum flamma amoris sui, ut, quicumque meae committuntur fidei, eos paterno animo complectar, atque hoc potissimum mihi datum esse negotii existimem, ut salutari scientia collustratos felicitatis aeternum perennitiae aliquando participes videam.

## §. 13.

Quod precatus sum a Saluatore Optimo Maximo, id si mihi pro clementia sua annuerit; neque Reuerendissimos ludi Mauritianii Patronos, Maecenates benignissimos, consilii sui poenitebit, neque me mei. Magnum mihi, homini satis tenui, hinc norem habuerunt, quod in spem adducti, me scholae huic, cuius incrementis summa cura inuigilant, bene praefuturum esse, e patria euocarunt, atque munere regendae huius officinae litterariae

teriae ornatum esse voluerunt. Propensissimam in me voluntatem iam ante, quam huc accederem, clarissimis signis testati, sperare, immo confidere iusserunt, nunquam ipsorum benevolentiam praesidiumque in rebus honestis atque ad emolumenta lycei nostri pertinentibus mihi defuturum esse. Nihil igitur mihi iam faciendum est, nisi ut Deum venerer immortalem, ut Illustrissimum Ecclesiae Metropolitanae Collegium, quo cum huic ciuitati et vniuersae regioni Magdeburgicae splendor maximus, tum sacris ciuilibusque rebus utilitas summa adseritur, prouidentia sua et clementia tueri, & quaecumque vel in toga vel in fago, vel domi vel foris, deliberant, constituant, gerunt, successu prosperare velit bonorum omnium votis respondentem. Perstent ac florent domus Maecenatum meorum, vetusta nobilitate, virtute ac rebus gestis conciliata et conseruata, eminentes, gloriamque generis ad omnem posteritatem egregio publico propagent.

## §. 14.

Nunc ad id accedo, quod mihi huius prolusionis occasionem praebuit. Cum audirem, si exercitationes crebrae instituantur oratoriae, multis cum discipulis eorumque parentibus, tum maxime Patronis atque amicis huius palaestrae litterariae, gratum me esse facturum: nolui hanc rem diu differre, sed periculum et ingenii et facultatis meorum facturus, octo alumnis primi ordinis argumenta ac dispositiones sermonum proposui, quos pro viribus elaboratos atque sub censuram meam vocatos, interpositis quibus secundae et tertiae classis discipulis, sunt habituri.

## Prodibunt igitur hoc ordine.

1. Augustus Bernhardus Valentinus Herbing, Halberst. Choralis et Praefectus, Mansuetudinem carmine german. eo versuum genere, quod ipsi adhuc maxime arrisit, laudabit.
2. Ioannes Fridericus Zwez, Rietnordhusa-Thuring. Choralis de eodem argomento latine tractabit.

Leopoldus Fridericus Schirmeister, Magdeb. Cl. II. discip.  
Voluptates sensuum non esse verum bonum ostendet. lat.

3. Bene-

3. Benedictus Wilhelmus Boettger, Magdeb. tempestates aduersas  
aquo animo esse ferendas, dicet gallice.  
Fridericus Gotthilf Rambach, Clasis III. discip. Halens. historiam  
de Abdolonimo ad regnum praeter spem eucto e Curt. IV. I.  
versibus narrabit germ.
4. Ioannes Christophorus Schroeder, Kuzlebia Thuring. Choralis,  
de saecitate fucata germ. dicet.  
Curt. Gottfried Ulricus Grünheid, Mesomarch. Cl. II. discip. pes-  
simum ludimoderatoris Falisci factum e Liu. V. c. 27. vers. germ.  
narrabit.
5. Io. Matthaeus Kaestner, Gothanus, de arcto viaculo doctrinae et  
eloquentiae lar.
- Io. Frider. Gottl. Goldhagen, Nordhus, Cl. II. discip. stulta homi-  
num vota vers. germ. proponet.
6. Io. Gottfried Droege, Magdeb. admiranda et utilitates nauigatio-  
nis carmine germ. consueto ipsi versuum genere describet.  
Ioannes Fridericus Clewitz, Magdeb. Cl. III. alumnus odam de  
ventis germ. recitabit.
7. Io. Ernestus Aug. Reiche, Magdeburg. pulchritudine corporis non  
superbiendum esse Italico sermone ostenderet.  
Frider. Wilhelmus Stockhausen, Magdeb. Cl. II. alumnus, de  
laude quaedam dicet gallice.
8. Io. Christianus Frider. Goldhagen, Nordhus, naturam Dei ultricem  
canet german.

Ad quos benigne audiendos, ut, qui musis nostris fauent,  
frequentes adesse velint, qua decet obseruantia et pietate, rogo  
atque oro. Dabam Magdeburgi d. 24. Sept. A. O. R. 1753.



AB:155427



Sc.

1

VDA7



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



DE  
CHRISTO,  
PERFECTISSIMO BONI PRAECEPTORIS EXEMPLIO,  
PAVCIS DISSERIT,  
ATQVE AD  
**ACTVM  
ORATORIVM**  
D. XXV. SEPT. ANNI MDCCCLIII. HORA II. POST MERID.  
**IN SCHOLA MAVRITIANA**  
HABENDVM  
MVSARVM PATRONOS ET AMICOS  
OFFICIOSE ET REVERENTISSIME  
INVITAT

JOANNES EVSTACHIVS GOLDHAGEN, R.  
Societatum Latinae et Teuton. Jenens. Goetting. et Bre-  
mens. Sodalis honorarius.

---

*MAGDEBURGI,*  
LITTERIS NICOLAI GÜNTHERI, REG. PRVSS. TYP. AVLICI.